MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80514-17

AUTHOR:

HEIMBROD, JOSEPH

TITLE:

M. TULLIUS CICERO INDE AB IDIBUS MARTIIS...

PLACE:

GLEIWITZ

DATE:

1844

Master Negative #

92-80514-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Heimbrod, Joseph
...M. Tullius Cicero inde ab Idibus Martiis 710 usque ad Calendas Januarias 711 p. R. c.... Gleiwitz, Gustav Neumann, 1844.
22 p. 24 cm.

Academic program.
Vol. of theses.

142266

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-27-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no. 1

Zu der

am Schlusse des Schuljahres 18$^{43}/_{44}$

den 26. und 27. September abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung

der Schüler des königl. kathol. Gymnasiums in Gleiwitz

und zu der

auf den 28. September festgesetzten

Schulfeierlichkeit

ladet ergebenst ein

Dr. Joseph Kabath,

Director und Professor.

Inhalt.

1. Lateinische Abhandlung von dem Hrn. Professor Joseph Heimbrod: M. Tullius Cicero inde ab Idibus Martiis 710 usque ad Calendas Januarias 711 p. R. c.
2. Schulnachrichten von dem Director.

Gleiwitz,

gedruckt bei Gustav Neumann.

1844.

Hoffmann

M. Tullius Cicero

inde ab Idibus Martiis 710 usque ad Calendas Januarias 711 p. R. c.

C. Julio Caesare Idibus Martiis 710 occiso, conjurati, quorum principes fuerunt M. Brutus, C. Cassius, Decimus Brutus, Cn. Domitius aliique, ad Ciceronem libertatis amantissimum oculos converterunt, nam Cicero tum Romae versabatur atque M. Brutus, qui cruentum pugionem extollebat, Ciceronem exclamavit (vid. orat. Philipp. 2, 12,) atque ceteri conjurati, ut Dio narrat, saepius Ciceronem vocarunt. Quam ob causam Antonius serius, Caesarem consilio Ciceronis necatum fuisse, in senatu dixit, quod falsum est, nam Cicero, licet Caesaris oppressoris libertatis inimicus esset atque saepius eum vituperasset ejusque imperium non ultra sex menses duraturum esse praedixisset, licet Bruto familiarissime uteretur, conjurationis ipsius particeps non fuit, ut inter omnes constat, v. Plut. vit. Cicer. c. 42. Caede perfecta conjurati, qui Antonium una cum Caesare hoc anno consulem interficere noluerant, in Capitolium e curia se contulerunt, Antonius autem, consulari veste abjecta, clam se domum recepit Phil. 2, 35. Cum conjuratis et multis aliis senatoribus Cicero quoque in capitolium concessit, sed minime commoveri potuit, ut ad Antonium iret atque eum ad rempublicam defendendam adhortaretur Phil. 2, 35. „Dicebam illis in capitolio liberatoribus nostris, quum me ad te ire vellent, ut „ad defendendam rempublicam te adhortarer; quoad metueres, omnia te promissurum, „simul ac timere desiisses, similem te futurum tui. Itaque quum ceteri consulares irent, „redirent, in sententia mansi, neque te illo die, neque postero vidi; neque ullam socie„tatem optimis civibus cum importunissimo hoste foedere ullo confirmari posse credidi!"

„Post diem tertiam veni in aedem Telluris et quidem invitus, quum omnes aditus „armati obsiderent." Tertio igitur post Caesaris caedem die, Liberalibus a. d. XVI Cal. April. senatus in aedem Telluris convenit, ubi Cicero orationem habuit, in qua cives, ut pacem et concordiam inter se servarent, hortatus est, simulque exemplo Atheniensium omnem memoriam discordiarum civilium oblivione sempiterna delendam esse censuit, ad quam rem melius significandam graeco vocabulo ἀμνηστίας usus est v. Dio. Cass. 44, 63. Phil. 1, 13.

M. Antonius, qui post Caesaris mortem, ut jam supra dictum est, anxius domi se continuerat, mox, quum conjuratos firmum consilium non cepisse vidisset, latebras reliquit atque quum in hac rerum conditione et animorum omnium perturbatione dolo tantum et calliditate ad finem propositum se pervenire posse intelligeret, Lepido quoque, qui cum exercitu prope Romam erat, atque illico interfectores Caesaris punire volebat, persuasit, ut essent quieti atque simulatione veri consilii conjuratos atque reipublicae amicos securos redderent; quam ob causam in senatu quoque de concordia habuit orationem, suumque filium sicuti Lepidi liberos obsides dedit, quo pax confirmata videbatur. Conjurati, quum de Caesaris caede quaeri in judicio non placere senatus consultum fieret, licet suadente Antonio acta Caesaris atque decreta rata esse et Pisone auctore Caesarem funere efferendum ejusque testamentum proferendum, quod malum erat omen, senatores censerent, Antonii calliditate decepti Capitolium reliquerunt et Brutus apud Lepidum, Cassius apud Antonium, ceteri apud alios coenarunt, vid. Plutarch. Brut. cives vero non solum libertatem restitutam, sed pacem et quietem jam firmas esse crediderunt, praecipue quum postero die conjurati e senatus decreto provincias administrandas acciperent, M. Brutus Cretam, Cassius Africam, Trebonius Asiam, Cimber Bithyniam et D. Brutus Galliam. In funere Caesaris Antonius clare ostendit, quasnam partes agere vellet, nam hoc funere indicto v. Suet. Caes. C. 84. rogus exstructus est in campo Martio juxta Juliae tumulum; et pro rostris aurata sedes ad simulacrum templi Veneris Genitricis collocata, intraque lectus eburneus, auro ac purpura stratus, et ad caput tropaeum cum veste, in qua fuerat occisus. Inter ludos cantata sunt quaedam ad miserationem et invidiam caedis ejus. Laudationis loco Consul Antonius per praeconem, vel Appiano narrante, Antonius ipse senatus consultum pronuntiavit, quo omnia ei divina simul atque humana decreverat, quibus perpauca a se verba addidit. Talibus rebus plebs concitata, corpore Caesaris cremato, statim ad domum Bruti et Casii cum facibus tetendit, atque aegre repulsa, obvium sibi Helvium Cinnam per errorem nominis, quasi Cornelius (Cinna) is esset, quem graviter pridie concionatum de Caesare inquirebat, occidit caputque ejus praefixum hastae circumtulit. Sueton. Caes. 85. comp. Ciceronis epistol. ad Atticum lib. 14, 10. Tali modo res amicorum patriae jam perierat, sed propria culpa, nam dubii, quidnam post Caesaris caedem esset faciendum, Antonio nimis confidentes tempus deliberando consumserant, quod Cicero in epistolis ad Atticum scriptis vehementer conqueritur, vid. ad Attic. 14, 10, 14: „Dii immortales! Quae tum opera effici potuerunt, lae„tantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus? &c. Contenti simus Idibus „Martiis, quae quidem nostris amicis, divinis viris, aditum ad coelum dederunt, libertatem „populo Romano non dederunt." Plebs non contenta iis, quae in funere Caesaris jam per-

fecerat, solidam columnam prope viginti pedum lapidis Numidici in foro statuit inscripsitque Parenti Patriae. Cicero Antonium auctorem statuae facit et inscriptionem aliter conceptam habet: „Parenti optime merito." vid. epist. ad familia. lib. 12, 3. „Auget tuus amicus furorem in dies, primum in statua, quam posuit in rostris, inscripsit „Pa„renti optime merito." Conjurati, qui se hoc rerum statu Romae tutos esse non posse intelligebant, praecipue quum Antonius ad eos perturbandos magnam veteranorum copiam in urbe collegisset, illum hominem perfidum esse viderunt, quam ob rem Decimus Brutus Albinus in epistola ad M. Brutum et Cassium data ita dicit: „Quo in statu simus, cognoscite. „Heri apud me Hirtius (consul designatus) fuit, qua mente esset Antonius demonstravit, „pessima scilicet et infidelissima. Nam se neque mihi provinciam dare posse ajebat, neque „arbitrari, tuto in urbe esse quemquam nostrum, adeo esse militum concitatos animos „et plebis. Quum in his angustiis versarer, placitum est mihi, ut postularem legatio„nem liberam mihi reliquisque nostris, ut aliqua causa proficiscendi honesta quaereretur." vid. ad famil. 11, 1. Simul in hac epistola consilium suum ostendit, vel migrandum esse ex Italia vel postulandum publicum praesidium in urbe, M. Brutus vero et Cassius praetores ab Antonio consule quaerunt, utrum putet, ipsos in urbe magna veteranorum frequentia tutos fore, quod quum Antonius negaret, conjurati Roma abierunt, Trebonius se contulit in Asiam, quae provincia antea ei erat demandata, D. Brutus in Galliam citeriorem, M. Brutus autem et Cassius Antium atque Lanuvium profecti sunt, ubi diu otiosi erant, ut ex epistolis Ciceronis ad Atticum scriptis patet. Antonius, postquam ita, quae in animo habebat, consecutus est, se maximum reipublicae amicum esse simulavit, nam res optimas ad senatum detulit, dictaturam etiam funditus e republica sustulit sententia sua, qua de re senatus eum amplissimis verbis laudavit eique maximas gratias egit. vid. Philipp. 1, 13. Paulo post Bruti et Cassii profectionem Cicero quoque Romam reliquit et initio Aprilis rus profectus est, ut villas suas lustraret, v. ad Attic. lib. 14, nec quidquam eo tempore malebat quam rusticari, epist. ad famil. 16, 23, „liceat modo rusticari." Ex epistolis, quas tum Cicero scripsit, intelligi potest, quantopere otio amicorum offensus fuerit, vid. ad Attic. lib. 14, 6. 21, attamen, quum eodem tempore, ut cives inter se concordiam servarent, cuperet, Antonii etiam amicitiam retinere voluit, epist. ad fam. 26, 23: „Ego tamen Antonii inveteratam sine ulla offensione amicitiam retinere sane „volo, scribamque ad eum.". Caesaris caede non solum Romanos permultos sed etiam Italiae incolas maximopere laetatos fuisse, Cicero ex itinere scribit, dicit enim suo Attico: „Exultant laetitia in municipiis, dici enim non potest, quantopere gaudeant, ut ad „me concurrant, ut audire cupiant verba mea ea de re," quam ob causam Antonius callidus omni dolo utebatur, ut consilium suum conderet, qua re motus sub idem tem-

pus una cum collega Dolabella, qui Caesaris occisi locum ceperat, Marium quemdam fugitivum a Caesare relegatum, humillimae sortis hominem, qui se C. Marii nepotem ferebat (Liv. epit. 16,) medicum equarium, quem Appianus Ἀμάτιον τὸν ψευδομάριον, Valerius Maxim. 9, 15, Herophilum nominant, supplicio affecit, hic enim Marius Caesare occiso Romam rediit, aram Caesari eo loco, ubi crematus erat, posuit et consilium interficiendi senatus capere sustinuit. Liberatus caedis periculo senatus est, uncus enim impactus est illi fugitivo, qui in C. Marii nomen invaserat. Paulo post, dum Antonius mensibus Aprili et Majo Italiam percursabat, consul Dolabella illam supra nominatam in Caesaris honorem exstructam columnam, quam Dio βωμόν dicit, ad quam plebs longo tempore sacrificabat, vota suscipiebat, et controversias quasdam interposito per Caesarem jure jurando distrahebat Suet. vit. Caes. c. 85, evertit, homines vero tumultuosos severissime punivit, liberis de saxo Tarpejo dejectis, servis in crucem actis, quod ob egregium factum Cicero Dolabellam generum maximopere laudavit, vid. epist. ad Attic. lib. 14, 15. „O mirificum Dolabellam meum! jam enim dico meum, antea, crede, subdu„bitabam: magnam ἀναθεώροσιν res habet: de saxo, in crucem, columnam tollere; locum „illum sternendum locare: quid quaeris? heroica &c. et ejusd. lib. epist. 16." Sed ad rem ut veniam, o Dolabellae nosti magnam ἀριστείαν! quanta est ἀναθεώροσις? equidem laudare eum et hortari non desisto. — mihi quidem videtur Brutus noster jam vel coronam auream per forum ferre posse, quis enim audeat violare, proposita cruce aut saxo? praesertim tantis plausibus, tanta approbatione infimorum? comp. epist. ad famil. lib. 12, 1, et Phil. 1, 12. Cicero imo Dolabellae ipsi de hoc facto gratulatur: (epist. ad famil. 9, 14.) in extrema epistola ita dicens: „Liberasti igitur et urbem periculo et civitatem „metu; neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti sed etiam ad exemplum „facti. Intelligere debes, in te positam esse rempublicam, tibique non modo tuendos, „sed etiam ornandos esse illos viros, a quibus initium libertatis profectum est."

Dum haec Romae atque in Italia aguntur, dum omnes Romani inter spem metumque versantur, Octavius Caesaris nepos primum partes agere coepit, hic enim adolescens duodeviginti annorum, quum Romae Caesar interficeretur, Apolloniae agitabat, in quam macedonicam urbem avunculus eum partim studiorum causa, partim ut eum in parthicum bellum, quod Caesar tum suscepturus erat, secum duceret, miserat. Avunculi caede cognita Apollonia decessit et in Italiam rediit atque XIV Calend. Maji 710 Neapolim venit, haereditatem Caesaris aditurus; epist. ad Attic. lib. 14. 10, 11. Puteolis invisit Ciceronem, qui optimam spem in eo collocabat, scribit enim Attico epist. lib. 14, 11. „Hic mecum „Pansa, Balbus, Hirtius, modo venit Octavius — mihi totus deditus." Octavius ab initio haereditatem avunculi adire tantum visus est, quae res tamen illo tempore valde pericu-

losa erat, nam libertatis amici ei diffidere debuerunt, ne Caesaris divitiis auctus, Caesaris potentiam quoque sibi parare studeret, Antonius e contrario eum timuit, ne sua consilia irrita faceret, qua de causa mater Attia et Philippus vitricus eum retinere voluerunt, quod consilium, quia se indignum esset, repudiavit, itaque Romam se contulit haereditatem aditurus. vid. Suet. Oct. — „Ceterum, urbe repetita, haereditatem adiit, dubitante „matre, vitrico vero Marcio Philippo consulari multum dissuadente." Una cum haereditate Caesaris, patris adoptivi, nomen tulit atque C. Julius Caesar Octavianus est nominatus, Cicero igitur eum modo Octavium, modo Octavianum appellat. Priusquam vero in urbem concesserit, Cicero, qui ejus animum perspexerat, tali modo de eo ad suum Atticum scribit: „Nobiscum hic perhonorifice et amice Octavius: quem quidem sui „Caesarem salutabant, Philippus non, itaque ne nos quidem: quem nego posse bonum „civem, ita multi circumstant, qui quidem nostris mortem minitantur; negant, haec ferri „posse; quid censes, quum Romam puer venerit, ubi nostri liberatores tuti esse non „possunt? qui quidem semper erunt clari, conscientia vero facti sui etiam beati."

Antonius interim non solum dolo et fraude sed aperta vi, ut citius consilia turpia exsequi posset, utebatur, nam in itinere per Italiam suscepto veteranos Caesaris pecunia sibi comparavit eorumque magnam copiam secum Romam duxit, ut ibi praesto essent, Caesaris vero chirographis corruptis, quaecunque volebat, protulit nisus senatus consulto, Caesaris acta rata esse. Pecunia omnia venalia erant, cives servorum instar tractabat, inde Ciceronis verba: „O rem miseram, dominum ferre non potuimus, conservo servimus," ad famil. 12, 3. „O dii boni! vivit tyrannis, tyrannus occidit! ejus interfecti morte lae„tamur, cujus facta defendimus," ad Attic. lib. 14, 9. Sic Caesaris nomine abusus Siculis omnibus civitatem Romanam dedit atque regi Dejotaro omne regnum reddidit accepta grandi pecunia. epist. ad Attic. lib. 14, 12, orat. Phili. 2, 37. Aperte, (inquit Vellejus) Antonii ac Dolabellae, (hunc enim pecunia multa sibi conciliaverat) erupit furor. Sestertium septies millies a Caesare ad aedem Opis depositum Antonius rapuit, Phil. 2, 37. „Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat." Quibus in villis Cicero per menses Aprilem et Majum rusticatus sit, epistolae lib. 14 ad Atticum scriptae demonstrant, ex quibus quoque intelligimus A. Hirtium consulem designatum in Puteolano cum Cicerone fuisse. ad Attic. lib. 15, 1. „Hirtius apud me erat in Puteolano." Quo animo Cicero affectus fuerit et quae de rerum statu cogitaverit, optime cognoscitur ex epistola, quam exeunte Majo ad Cassium scripsit, in qua dicit: „Ut adhuc quidem actum est, non regno, sed rege liberati videmur. Interfecto enim „rege regios omnes nutus tuemur. Neque vero id solum, sed etiam quae ipse ille, si „viveret, non faceret, ea nos quasi cogitata ab illo probamus. Nec ejus quidem rei

„finem video. Tabulae figuntur, immunitates dantur, pecuniae maximae scribuntur, ex„sules reducuntur, senatus consulta referuntur, ut tantummodo odium illud hominis (Cae„saris) et servitutis dolor depulsus esse videatur, respublica jaceat in his perturbationi„bus, in quas eam ille conjecit, ad familiar. 12, 1." Nihilominus Cicero extremo hoc mense Romam redeundi consilium cepit, ut calendis Juniis in senatu, ut Antonius edixerat, adesset; sed quum urbi appropinquaret, timore est perterritus, sciebat enim, urbem militibus esse impletam, Antonium cum magna turba veteranorum rediisse illiusque consilium bellum spectare, ab amicis quoque Hirtio, Varrone aliisque monitus, Romam se non contulit, sed in Tusculanum suum, v. ad Attic. lib. 15, 5. „Mihi vero deliberatum est, ut „nunc quidem est, abesse ab ea urbe, in qua non modo florui cum summa, verum „etiam servivi cum aliqua dignitate." Ciceronis exemplum plerique senatores secuti sunt, nam vim et insidias metuentes repente diffugerunt, vid. Philipp. 2, 42. „Ista vero „quae et quanta barbaria est! Agmine quadrato cum gladiis sequuntur milites: scuto„rum lecticas portari videmus. — Calendis Juniis, quum in senatum, ut erat constitu„tum, venire vellemus, metu perterriti repente diffugimus." Cicero, qui intelligebat, Romae pro salute reipublicae nihil esse agendum, iter in Graeciam, quod jam diu meditatus erat, paravit, e Tusculano igitur Antium profectus est, et postquam ibi plures dies commoratus est, cetera etiam praedia Arpinas, Formianum, Puteolanum et Pompejanum vidit. Antequam vero Tusculano abiit, tertio Nonas vesperi a Balbo ei litterae redditae sunt, fore Nonis senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum et ad urbem mittendum curarent ad Attic. lib. 15, 9, de qua re vehementer indignatus fuit, exclamat enim: „O rem miseram!" nec injuste; Cassius enim et Brutus, qui praetores erant, quibusque ex legibus non licebat urbe ultra decem dies abesse, tum Roma quasi erant expulsi, nec sine vitae periculo redire potuerunt, qua de causa Antonius, qui expulsionem praetorum illicitam esse videbat, senatus consulto effecit, ut legibus essent soluti, si ab urbe plus quam decem dies abfuissent, nam tali modo, illos sibi noxios esse non posse, putavit, eorum amici vero, ut praetores exilii dedecore liberarent, frumentorum curam a senatu petierant eo consilio, ut illi Italia relicta melius sibi et reipublicae consulerent. vid. Appianum. Cura frumentorum munere praetorum indigna fuit, illi rem demandatam repudiarunt, ex Cicerone autem rogarunt, ut consultandi causa Antium veniret, Cicero igitur, quamvis invitus ante VI cal. Antium se contulit, ubi Brutum, Cassium, Serviliam, matrem Bruti, ejusque uxorem Porciam atque sororem Tertulliam, Cassii uxorem et Favonium invenit. Cicero, qui miseram amicorum conditionem perspexerat, suasit, ut Brutus uteretur Asiatica curatione frumenti, nihil esse jam reliqui, quod agerent, nisi ut salvi essent. Cassius fortibus sane oculis se in

Siciliam iturum esse negavit et beneficium accipere in contumelia; se in Achajam iturum. Postquam diu pro re et tempore collocuti et de amissis occasionibus questi sunt, Ciceronis sententia placuit, praecipue quum Servilia polliceretur, se curaturam, ut illa frumenti curatio senatus consulto tolleretur. Ciceronem nihil in illo itinere praeter conscientiam delectavit, offendit enim prorsus dissolutum navigium vel potius dissipatum. Nihil consilio, nihil ratione, nihil ordine. Iter igitur in Graeciam ingredi vult et scribit suo Attico: „Itaque etsi ne antea quidem dubitavi, tamen nunc eo minus, evolare hinc; „idque quamprimum, ubi nec Pelopidarum facta, neque famam audiam." ad Attic. lib. 15, 11.

Cicero ut omnia, quae ad iter opus esse viderentur, haberet, ad Dolabellam de libera legatione scripsit sicuti ad Antonium, ne iracundus homo commoveretur, ad Attic. lib. 15, 8. Dolabella eum sibi legavit, qua re magnopere laetabatur, quum jus liberae legationis nulla lege esset circumscriptum, iter vero ea mente in Graeciam ingressus est, ut Romae adesset Calendis Januariis, quibus Hirtius et Pansa consulatum erant inituri, in his enim consulibus maximam spem collocavit. Cicero et Atticus ante iter convenerunt atque ob malum rerum publicarum statum tristitia maxima erant affecti, ita ut Atticus post discessum lacrimas funderet, quo cognito Cicero ad eum scripsit: „Te, ut a „me discesseris, lacrimasse, moleste ferebam, quod si me praesente fecisses, consilium „totius itineris fortasse mutassem, sed illud praeclare, quod te consolata est spes brevi „tempore congrediendi, quae quidem exspectatio me maxime sustentat; meae litterae „tibi non deerunt." ad Att. lib. 15, 27.

Octavius interim, qui, ut supra dictum est, a Cicerone bene erat exceptus, quum Romam venisset, ab Antonio superbe et aspere tractabatur, ita ut, quia Antonius omnibus ejus conatibus adversabatur, ad optimates vel ad reipublicae amicos, quibus Antonius tum invisus erat, se conferret, quae res Ciceronem gaudio quodam affecit, attamen de eo hoc fert judicium: „Octaviano, ut perspexi, satis ingenii, satis animi; videbaturque „erga nostros heroas ita fore, ut nos vellemus, animatus; sed quid aetati credendum sit, „quid nomini, quid haereditati, quid κατηχήσει, magni consilii est. Vitricus quidem nihil „censebat; quem Asturae vidimus, sed tamen alendus est, et ut nihil aliud, ab Antonio „sejungendus. Marcellus praeclare, si praecipit puero de nostris; cui quidem ille deditus „mihi videbatur. Pansae autem et Hirtio non nimis credebat. Bona indoles, ἐὰν διαμείνῃ." ad Attic. lib. 15, 12. Eodem tempore Brutus, absens praetor, annuos ludos in honorem Apollinis initio mensis Quintilis (Julii) celebrandos curavit, ad quos ipsum Ciceronem invitare non dubitabat, Cicero vero rescripsit: primum se jam profectum esse, ut non integrum esset, dein ἀτοπώτατον esse, se, qui Romam omnino post haec arma non accesserit, neque id tam periculi sui causa fecerit, quam dignitatis, subito ad ludos venire,

tali enim tempore ludos facere illi honestum esse, cui necesse esset, spectare, sibi ut non esset necesse, sic ne honestum quidem esse, se quidem illos celebrari et esse quam gratissimos mirabiliter cupere. Ceterum ex Attico petiit, ut scriberet, quemadmodum ludi acciperentur et ut reliquorum dies singulos omnino persequeretur. ad Attic. lib. 15, 26. Ludi Apollinares, quibus, Bruto absente, Lucius Antonius praesidebat, permagno cum plausu accipiebantur, praecipue poetae Attici fabula Tereus magnopere placebat. Atticus ex amici mandato omnia accurate perscripsit litterasque has Cicero cum Bruto, qui in Neside, parva campanici litoris insula, versabatur, communicavit. Has litteras Bruto gratissimas fuisse, ex epistola, quam ea de re Cicero ad Atticum scribit, patet. ad Attic. lib. 16, 2. Cujus permagni plausus, quem populus Bruto absenti tribuebat, Cicero in prima oratione Philippica c. 15, mentionem facit: „O beatos illos, qui, quum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant ta„men et in medullis populi Romani ac visceribus haerebant! nisi forte Attio tum plaudi, „et sexagesimo post anno palmam dari putabatis, non Bruto, qui ludis suis ita caruit, „ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribueret absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret." Licet hi nuntii Bruto grati essent, vehementer tamen conturbatus est, doluit enim de Nonis Juliis nec sine causa. Mensis Quintilis in honorem Caesaris Julius nominatus erat, quum igitur in edicto, quo ludi illi indicabantur, loco Quintilis Julius legeretur, facile opinio valere potuit, Brutum ita Caesarem colere velle, qua de causa se scripturum ajebat, ut venationem, quae postridie ludos Apollinares futura esset, proscriberent III Id. Quintilis. Ciceronem igitur profectionem in Graeciam non festinasse ex dictis satis apparet, Brutus quoque parum properavit, voluit tarde navigare, consistens pluribus in locis, sine dubio eo consilio, ut in quavis rerum internarum mutatione adesset. (ad Attic. lib. 16, 4.) Ex hac epistola simul patet, ad amicos hoc tempore Libonem cum litteris a Sexto Pompejo venisse, in quibus nuntiatum erat, Sextum Pompejum, filium Pompeji Magni, cum una solum legione fuisse Carthagine, eique eo ipso die, quo oppidum Boream cepisset, nuntiatum esse de Caesare; capto oppido miram laetitiam commutationemque animorum, concursumque undique; sed illum ad sex legiones revertisse. Pompejus, ut sibi patris opes redderentur sibique ad larem suum redire liceret et ut omnes exercitus dimitterentur, postulavit. Antonius et Lepidus, qui Pompejum cum exercitu non solum magnam vim in rempublicam habere, sed sibi quoque maximopere nocere posse, intelligebant, cum Pompejo igitur foedus et amicitiae vinculum inire studuerunt, ut ex hac parte tuti essent, Pompejus, praecipue Lepido auctore, pacem non repudiavit, resque ita peracta est, ut Pompejus ex senatus decreto tantam pecuniam acciperet, quantam ex bonis patriis in

praedae dissipatione inimicus victor redegisset. Datum est septies millies, qua pecunia filius patris bona omnia redimere potuit. Pompejus fuit contentus nec negari potest, hoc modo pacem fuisse servatam, (orat. Philipp. 13, 4, 5;) Antonium vero et Lepidum sibi maxima parasse commoda. Cicero, priusquam ex Italia abiit, apud se Quintum Ciceronem, fratris filium, vidit, hic enim juvenis, qui Julii Caesaris partes secutus erat, Caesare interfecto, M. Antonii familiaris, dextella fuit, (ut Atticus scribit ad Att. lib. 14, 20,) sed subito ad Brutum ejusque amicos transivit, qua re pater Quintus laetitia exultabat, scripsit enim filius, se idcirco ad Brutum profugere voluisse, quod, quum sibi negotium daret Antonius, ut eum dictatorem efficeret, praesidium occuparet, id recusasset; recusasse autem se, ne patris animum offenderet, ex eo illum sibi hostem. Noster Cicero, qui levitatem Quinti noscebat, rem totam fraudem illius juvenis habuit, ut pecuniam acciperet, sed ut fratris voluntatem expleret, eum quidem Attico commendavit, addidit tamen haec verba: „Q. filius mihi pollicetur, se Catonem. Egit autem et pater „et filius, ut tibi sponderem: sed ita, ut tum crederes, quum ipse cognosses. Huic ego „litteras ipsius arbitratu dabo. Eae te ne moverint. Has scripsi in eam partem, ne me „motum putares. Dii faxint, ut faciat ea, quae promittit! commune enim gaudium. Sed „ego nihil dico amplius." Quintus deinde plures dies cum Cicerone fuit, quem in omni genere maximopere delectabat, sic enim commutatus fuit et scriptis avunculi et assiduitate et praeceptis, ut tali animo in rem publicam, quali Cicero vellet, esset. vid. epist. ad Attic. lib. 16, 5. Cicero tandem, quum, ut jam supra dictum est, plures suarum villarum lustrasset, nam e Tusculano Antium profectus est et in Antiati aliquot dies commoratus cetera quoque praedia, Arpinas, Formianum, Puteolanum et Pompejanum adiit, iter in Graeciam parabat, audito autem, legiones adventare et navigationem e portu Puteolano, Nonis Quintil. enim Puteolis esse voluit, quasdam habere suspiciones periculi, una cum Bruto, qui cum Cassio aliisque classem parabat, abire constituit, sed ei fuit permolestum, quod parum Brutus properare videbatur, qui valde morabatur non tergiversans, sed exspectans, si qui forte casus. Cicero, quum jam in eo esset, ut proficisceretur, iter ingredi dubitavit, sed ab amicis Attico et Oppio permotus profectus est ea mente, ut Calendis Januariis 711 adesset. (epist. ad famil. 11, 29. Philip. orat. 1, 2, ad Attic. lib. 16, 6.) „Scribis enim, in coelum ferri profectionem meam, sed ita, ut „ante Calendas Januarii redeam." Cicero igitur, quum Brundusium iterque illud, quod tritum in Graeciam fuit, vitavisset, ut ait Philip. 1, 2. Veliam pervenit, ibique fuit XIII Cal. Sextil. atque unum diem constitit, quum ad domum Trebatii Testae devertisset. ad famil. lib. 7, 20, ad Attic. lib. 16, 6.) „Ubi quidem fui sane libenter apud Testam „nostrum, nec potui accipi, illo absente praesertim, liberalius." Inde duos sinus Pae-

stanum et Vibonensem pedibus aequis transmisit atque pervenit Vibonem ad Siccam IX Calend. Sext; ubi posterum diem obduxit, unde, postquam Rhegio abierat, in Siciliam transgressus Calendis Sextil. Syracusas venit, quod ab urbe ea transmissio in Graeciam laudabatur; quae tamen urbs ei conjunctissima, plus una nocte eum cupiens retinere, non potuit, quum autem postero die venti eum ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, detulissent, ab eo loco conscendit, ut transmitteret et stadia circiter trecenta provectus rejectus est austro in eum ipsum locum, unde conscenderat, quumque intempesta nox esset, mansissetque in villa P. Valerii comitis et familiaris sui, postridie apud eundem ventum exspectans maneret, municipes Rhegini complures ad eum venerunt illustres homines, Roma sane recentes, qui haec afferebant: edictum Bruti et Cassii; et fore frequentem senatum Calendis Sextilibus, Antonium repudiatis malis suasoribus, remissis Galliis provinciis, ad auctoritatem senatus rediturum, a Bruto et Cassio litteras missas ad consulares et praetorios, ut adessent, rogare. Iidem summam spem nuntiabant, fore, ut Antonius cederet, res conveniret, Caesaris interfectores Romam redirent. Addebant etiam, eum Romae desiderari et subaccusari. Quae quum Cicero audiisset, sine ulla dubitatione abjecit consilium profectionis, qua, ut ipse dicit, ne antea quidem delectabatur. Atticus quoque, qui profectionis suasor et impulsor non fuerat, approbator certe fuerat, amicus ut rediret, vehementer rogavit. Tum vero tanta cupiditate incensus est ad reditum, ut ei nulli neque remi neque venti satisfacerent, ne tardius, quam cuperet, reipublicae gratularetur. Itaque quum XVI. Calend. Sept, Veliam venisset, Brutus, qui cum suis navibus apud Haletem fluvium citra Veliam millia passuum III erat, pedibus ad eum statim venit. Brutus reditu vel potius Ciceronis reversione valde laetatus, effudit, quae tacuerat, se nunquam ejus iter probasse, se autem laetari, quod duas maximas vituperationes effugisset, unam desperationis et relictionis reipublicae, alteram, eum existimari ad Olympia. Quae Calendis Sextilibus in senatu acta essent, Brutus narrabat, Pisonem, Caesaris socerum, qui invectus erat oratione in Antonium, in caelum ferebat, licet parum esset adjutus a senatoribus. Hunc ut sequerer, Cicero inquit, properavi, quem praesentes non sunt secuti; vid. Phil, 1, 3, 4. ad Attic. lib. 16, 7. Velia igitur ventis, remis in patriam omni festinatione properavit et pridie Cal. Sept. Romam venit, intelligens, se, quum omnes libertatis amici metu essent oppressi, ne iis tuto in senatum venire liceret, nihil proficere posse, Phil. 1, 4, „Properavi — non ut „proficerem aliquid (neque enim sperabam id, neque praestare poteram) sed ut, si quid „mihi humanitus accidisset (multa autem impendere videbantur praeter naturam praeterque „fatum) hujus diei vocem testem reipublicae relinquerem meae perpetuae erga se volun„tatis." comp. ad famil. 12, 2. Ciceroni ad urbem accedenti tanta multitudo, ut Plutar-

chus narrat, obviam venit, ut, dum ad portas ingredientem excipiunt, adventumque gratulantur, dies fere consumtus fuerit. Ceterum hoc loco notandum videtur, Ciceronem Veliae ultimo cum Bruto colloquia egisse, nam paulo post Brutus et Cassius una cum suis navibus ex Italia discesserunt, ut provincias a Caesare iis jam destinatas, Macedoniam et Syriam, susciperent, in Macedoniam Brutus et in Syriam Cassius se contulit. Post reversionem Cicero de via languens, quumque sibi displiceret, in senatum, qui in templo Concordiae jubente Antonio de supplicationibus Caesari decernendis habebatur, non venit, misit autem pro amicitia, qui hoc ei diceret; Plutarchus ait, Ciceronem languoris causam opposuisse, quum re insidias metuere ex quadam suspicione et indicio, quod inter viam ei factum erat, videretur. Antonius vehementissime in Ciceronem, quem in Senatum vocaverat, iratus, audientibus senatoribus, fabros se missurum et domum disturbaturum dixit, Phil. 1, 5. „At ille, vobis audientibus, cum fabris se domum meam venturum „esse dixit." Plutarchus imo narrat, Antonium milites misisse, quos vel Ciceronem adducere vel domum ejus incendere jusserit, sed quum multi intercessissent et deprecati essent, quievisse. Postridie igitur i. e. IV. nonas Septemb. Cicero absente Antonio in senatum venit, ibique in Antonium primam habuit orationem Philippicam, in qua primum causas profectionis in Graeciam et reditionis exponit, deinde de Antonii injuria hesterno die sibi illata disputat, quo facto ad res publicas transit, et de actis Caesaris loquitur, quae quidem servanda esse censet, declaratque concordiae atque pacis causa non solum omnes leges, quas Caesar vivus promulgaverit, esse servandas sed etiam eas, quas Antonius mortuo Caesare et commentariis et chirographis protulerit, metuendum vero esse, quum Antonius ex illis commentariis exules revocaverit, civitatem non singulis sed nationibus et provinciis dederit, immunitatibusque infinitis vectigalia sustulerit, ne ille auspiciis neglectis vi et armis, quaecunque vellet, pro legibus obtruderet. Tum ex Antonio, ne sibi ob libertatem, qua de reipublicae salute locutus sit, irascatur, petit et ad extremum utrumque consulem praesentem Dolabellam et Antonium absentem cohortatur, ut rempublicam bene et moderate administrent, et quod sit verum iter ad gloriam, cogitent, vid. Phil. 1, 14. Cicero, quum serius de hac oratione judicaret, dixit, se in summa reliquorum servitute liberum unum fuisse, se de republica quidem locutum esse, minus autem libere quam sua consuetudine, liberius tamen, quam pericula minaeque postularent. Philip. 5, 7. ad famil. 12, 25. Antonius, cujus inveteratam amicitiam Cicero, ut ipse ad Tironem scribit, sine ulla offensione conservare voluerat (ad familia. 16, 23.) ob hanc orationem vehementissime iratus fuit et homo vehemens et violentus inimicitias Ciceroni denuntiavit eumque adesse in senatu jussit a. d. XIIII Calend. Octob. Ipse interea septemdecim dies de Cicerone in Tibertino Scipionis declamitavit, sitim quaerens et illo die,

quo Ciceronem adesse jusserat, agmine quadrato in aedem Concordiae venit et in Ciceronem absentem ore impurissimo orationem evomuit. Ciceroni autem in senatum venire per amicos non licuit, eo, quod Antonius a Cicerone caedis initium quaereret facturusque putaretur: Phil. 5, 7. „Quo die, si per amicos mihi cupienti in senatum venire licuisset, caedis initium fecisset a me. Sic enim statuerat." Antonius in hac vehementi oratione praeter alia a Cicerone amicitiam esse violatam dixit idque ex epistola, quam ipsi Cicero scripserat, ubi eum bonum civem et virum nominaverat, ostendere studuit, Ciceronique alias quam salutem patriae causas inimicitiae esse, contendit. Ut autem nominatim milites, quos in aedis portis constituerat, contra Ciceronem excitaret, in hac oratione, illum caedis Caesaris auctorem non solum fuisse, sed nunc quoque omni modo conjuratos regere, criminatus est. Cicero, qui adhuc Romae vel in vicinia urbis commoratus erat, propriae securitatis causa in villam haud procul a Neapoli discessit, ubi orationem Philippicam secundam, quam Juvenalis Sat. X, 125 divinam appellat, scripsit. Ciceronem hanc orationem in senatu praesente Antonio habuisse, ut multi putant, verum non est, sed eam ita conscripsit, quasi in praesentem Antonium XIII Cal. Octob. habita fuisset, quod ex verbis, quae in oratione ipsa c. 43 invenimus: „Quaero deinceps, num hodiernus dies „qui sit, ignores? nescis, heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te „ipsum autem ad populum tulisse, ut quintus praeterea dies Caesari tribueretur? etcet." patet, nam ludorum illorum primus dies erat XVII Cal. Octob, quem quum Cicero hesternum dicat, sequitur, ut orationem hanc ita instituerit, ut eam supra dicto die habitam esse finxerit Ciceronem hanc orationem Attico legendam dedisse, ex epist. ad Attic. 15, 13 intelligitur: „Haec quum scriberem, tantum, quod existimabam ad te orationem „esse perlatam" comp. ad. Attic. 16, 11. Cicero in hac oratione, in cujus exordio Antonium cum Catilina et Clodio comparat, omnia sibi ab Antonio objecta crimina refutat, in altera autem parte vitam hujus hominis a pueritia exorsus acerbissime castigat. In conclusione Antonium Cicero dicit tantum dominandi cupiditate cum Caesare conferri posse, ceteris vero rebus nullo modo esse comparandum, eumque, ut cum re publica in gratiam redeat adhortatur, illam enim, quae Caesarem tyrannum beneficio gratum, fama gloriosum occiderit, eum laturam non esse. „Defendi, pergit, rem publicam adolescens, non deseram senex; contempsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas civitatis potest, ut aliquando dolor populi Romani pariat, quod jam diu parturit! Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi, posse mortem immaturam esse consulari: quanto verius nunc negabo seni? Mihi vero, Patres conscripti, jam etiam optanda mors est, perfuncto rebus iis, quas adeptus sum, quasque gessi. Duo modo haec opto: unum, ut moriens populum

Romanum liberum relinquam hoc mihi majus a diis immortalibus dari nihil potest; alterum, ut ita cuique eveniat, ut de re publica quisque mereatur."

Octavianus, adversante conatibus suis M. Antonio, quem vel praecipuum adjutorem speraverat, quum intellexisset, se contra hunc summis honoribus ornatum et a militibus cinctum hominem nihil efficere posse, ad dolum et insidias confugit adversariique interficiendi consilium cepit, ad quod facinius perpetrandum percussores ei subornavit, qui in domo Antonii comprehendebantur. Nonnulli quidem totam rem ab Antonio esse inventam suspicabantur, Cicero autem, Suetonius (August 10.) Seneca (de clementi, 1, 9) et Plutarchus ab Octaviano Antonio caedem constitutam fuisse putant, vid. Cicer. ad famil. 12, 23, „Rerum urbanarum acta tibi (Cornificio) mitti, certo scio. Quod ni putarem, ipse „perscriberem, imprimisque Caesaris Octaviani conatum: de quo multitudini fictum ab „Antonio crimen videtur, ut in pecuniam adolescentis impetum faceret. Prudentes autem „et boni viri et credunt factum et probant. Antonius autem, tanto odio se esse intelligit, „ut, quum interfectores suos domi comprehenderit, rem proferre non audeat."

Inter Octavium et Antonium igitur fuerunt occulta certamina, nam alter alterum semper insidiis praevertere conabatur, quum uterque idem spectaret, qua ratione et quibus studiis summam rerum in suam potestatem redigeret. Uterque hac de causa magnum exercitum sibi comparare studuit, nam sine copiis, se nihil efficere posse, intelligebat, Antonius igitur, ut milites Caesaris sibi conciliaret, in dies magis contra hujus dictatoris interfectores invehebatur, aperteque edictis, se de conjuratis vindictam sumere velle, ostendebat. Caesarem nominabat patrem de republica meritissimum, quo nomine suum consilium et iram in rei publicae amicos satis aperiebat, recteque Cicero ea de re Cassio scripsit: Auget tuus amicus furorem in dies: primum in statua, quam posuit in Rostris, „inscripsit Parenti optime merito, ut non modo sicarii sed etiam parricidae judicemini, „quid dico judicemini? judicemur potius. Vestri enim pulcherrimi facti ille furiosus me „principem dicit fuisse. Utinam quidem fuissem! molestus nobis non esset. — Consilium „omne autem hoc est illorum, ut mortem Caesaris persequantur. Itaque a. d. sext. Non.: „Octob. productus in concionem a Canutio (tribuno plebis) turpissime ille quidem discessit: „sed ea tamen dixit de conservatoribus patriae, quae dici deberent de proditoribus, ad „famil. 12, 3."

Antonius hoc tempore Romam reliquit atque in Italiam inferiorem se contulit obviam profectus quatuor legionibus, quae in Macedoniam a Caesare missae post ejus caedem in Italiam revertebantur, ut eas pecunia sibi conciliaret et eas ad urbem vel potius in urbem adduceret. Brundusium venit VII Idus Octobr. ad famil. 12, 23. A. d. VII. Idus Octobr. Brundusium erat profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, quas

sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere et in cervicibus nostris collocare. compar. Phil. 5, 8.

